quæ pariter minor est reali actuali gilberti Poretani, utraque tamen maior est distinctione virtuali S. T. si ergo neutram ex his dari probavero, quæ tamen minores sunt, etiam probatum manebit, non dari maiorem.

Dico. Inter essentiam & attributa, & attributa inter se, et inter essentiam et attributa & relationes non datur distinctio formalis ex natura rei Scotistarum. 2° nec modalis Durandi. 3° sed solum virtualis Thomistarum. ita S. T. cum Doct. Angelico. 129.
omitto hic rationes philosophicas, quas abunde exhibet Philosophia. 2° omitto authoritates, & longam farraginem textuum tum ex Conciliis, tum ex S. S. Patribus, qui uno ore fatentur et propugnant in Deo summam simplicitatem, cui non solum distinctio realis actualis qualiter, est gilberti Poretani, sed etiam distinctio Scoti formalis ex natura rei, & modalis Durandi plurimum repugnant. si tamen aliquis curiosius vellet ingredi in eiusmodi textus, consulat Card. de Aguirre tract. 13. cap. 14. disp. 2 a sect. 1 usque ad 5tam inclusive. & Salmant. de Deo trino tract. 6. disp. 5 per totam. ne autem inutiliter eadem sæpius repetamus, eadem media pugnabunt contra utramque distinctionem tam Scoti, quam Durandi.

Prob. conclusio 1a ratione, etiam iuxta S. S. & Durand. non datur in divinis inter præfata extrema distinctio realis 130.
maior, ergo nec formalis ex natura rei, et modalis. antecedens est certum, imo de fide; consequentia prob. S. S. & Durand. ex eodem principio volunt inferre suam distinctionem, ex quo gilbertus Poretanus suam intulit: ergo si ista ratio aliquid probat, et prob. distinctionem realem maiorem, et nulla alia. prob. antecedens ideo gilbertus

© Universitätsbibliothek Heidelberg
https://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII65/0103
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
gefördert durch Baden-Württemberg